


1928 K 944

15,10

373

4

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
CAUSSIS MANIFESTIS
MORTIVM REPENTINARVM
CVRIOSIVS CAVENDIS



Q V A M
CONSENSV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
PRAESIDE
GEORGIO AVGVSTO
LANGGVTH D

PATHOL. ET CHIRVRG. PROF. PVBL. ORDINAR. ET FAC
MEDIC. SENIORE

PRO LICENTIA
SYMPOS IN MEDICINA HONORES
CAPESSENDI

A. D. VIII. SEPTEMBR. CIOIOCCCLXXII
H. L. Q. C

PVBLICE DEFENDET
CHRISTIANVS GOTTHELF MOEBIVS
LEISNICA - MISEN
MEDICINAE CANDIDATVS

WITTENBERGAE
LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII ACAD. A. TYPIS

1772

To Actv: Schilling



THESE...
MORTUUM...
CONSISTENT...
GEOFF...
L...
P...
SYM...
A...
H...
CHRISTIANUS...
MEDICINAE...
MAGISTRE...

Handwritten signature





Q. D. B. V.

DE
CAVSSIS MANIFESTIS MORTIVM
SVBITARVM CVRIOSIVS CAVENDIS

§. I.

Est utique in sapientissimis, quodque consentaneum est, in fructuosissimis per omnem vitam, habendum consiliis, quod suis in Tusculanis, orio sane non inertis deditus, CICERO ^{a)} nobis dat: sint semper omnia homini humana meditata. Cuius quidem consilii prudentissimi causam ac rationem magnus ille beatusque Philosophus, SENECA, ^{b)} commode subiicit, nihil esse, inquit, tam difficile et arduum, quod non humana mens vincat, et in familiaritatem producat assidua meditatio. Enim vero, quid tandem humani est, quod minus a se alienum putet mortalium quisque, quam ipsa illa, quae omne, quod

A 2

ortum

^{a)} Lib. III. c. 14.

^{b)} de Ira II. 12.



ortum est, consequitur, mortalitas. Semper, scilicet, mors nobis, tanquam saxum Tantalo, impendet; quumque ipsa Pronoea, rectius diuina prouidentia, mundum hunc mortalem fecerit, MARTIALI^{c)} plane consentiendum omnes facile intelligimus:

Ipsè iubet mortis te meminisse Deus.

Mortem, igitur, assidue meditari et accurate commentari, est summa sapientia; quiq; illam saepe diligenterque cogitat, rem prorsus diuinam videtur facere.

§. 2.

Quo minus audiendos ducas molliores illos ac voluptuarios, qui neminem animo consistere posse obiciunt, qui mortem, omnibus horis impendentem, cogitare, et, quod idem ipsis est, timere, debeat. Hi enim, qui suis tantum sensibus, non rationi, viuunt, qui illud dies noctesque cogitant, atque adeo in ore continenter habent: Quae voluptates paratae sint? et qualis cras futura scena sit? hi, concedimus, inquietam sibi vitam facient malo suo mortis metu; neque adeo mirum, eo usque non paucorum procedere dementiam, ut mortis timore ad mortem se cogi patiantur. Atque istos omnes hinc facessere iubemus, qui doceri nihil possunt; recedimus ab eius modi, qui suam desperantes salutem, seruari nec volunt, nec possunt. Procul hinc, procul ite profani! Horret animus noster istius modi ignauos, istos plus quam seruiles, metus; alio, meliore, modo, mortem cogitamus, metuimusque. Quod aliis nimirum vitae venenum est, id nobis est pro remedio; hoc duce, hoc comite, hoc optimo diuturnitatis custode, ad vitam placide beateque viuendam, ad reprimenda subitae mortis tela, viumur. Hic nobis in vitae longitudinem consulit, hic nos olim — sacra longaeuum in sede locabit. Audi, disce, SENECA^{d)} quem auctorem ac praeceptorum omnium consiliorum, totiusque vitae, habeas; nihil aequè monen-

^{c)} Epigr. II. 59.

^{d)} Epist. XXV.



monentem, tibi proficiet ad temperantiam omnium rerum, quam frequens cogitatio brevis aevi, et huius incerti. Quidquid facies, respice ad mortem.

§. 3.

Sic igitur ad mortem respiciant Seniores anni, ut minuta mortium repentinorum, tanquam sibi congruarum, formidine, promtos se paratosque, ad utrumque, ad viuendum ac moriendum, animo infracti laetique, ostendant. Sic officium suum mature discant Iuueniles anni, ut ne, spreto omni salutari metu, contra spem omnem suaeque vota, immatura, repentina, morte puniantur. Equidem mortium subitarum causae plurimum abditae et occultae sunt, tantoque nocitura earum tela, quo minus praeuideri illa, metui vitarique, possunt, notis praecedentibus, ac signis, quibus timor subsit, destituta; sunt tamen etiam earum non paucae, quas suis cognitae exitiosis effectibus, occupare ante et auertere, quam ceruices nostras occupent, omnino possumus. Agite igitur, quum morbi, non intellecti, curatio nulla sit, inuestigemus illas, nisi omnes, praecipuas tamen et maxime fonticas, causas; quarum veluti exemplo, reliquarum larentes insidias, apertosque imperus, metuamus, caueamus.

§. 4.

Laudauimus iam in dissertationibus nostris superioribus, ad hanc causam pertinentibus, praecipuos, et quasi principes ac classicos, Auctores Medicos, HEVCHEROS, LANCISIOS, BERNABEOS, MORGAGNOS, VATEROS, BÜCHNEROS, LIEVTAVDIOS, alios, qui hoc argumentum copiose non minus, quam plene eleganterque tractarunt; ad quos igitur, Lectores, plura desiderantes, docerique exactius cupidos, commode possemus ablegare. Id vero, quum partem sine multa eorum molestia fieri non possit, qui, quae per occasiones Academicas scribuntur, hoc sine solent



lectitare, ut habeant, quo suum otium delectent; partem vero, horum Auctorum nonnulli, difficilius comparari possint, saltem Commilironibus nostris non in promptu semper et ad manus sint: ea ex his, in compendium redacta, praemittere hic consultum ducimus, sine quibus, quae nos deinceps adferemus, pro eo, quod satis sit, intelligi ac iudicari nequeant.

§. 5.

Praecipuas mortis subitaneae causas laudatus a nobis b. BÜCHNERVS, in quatuor tanquam classes apte describendas, censet, hoc disponendas ordine: I. a violentia quadam externa; ab ictu, igitur, casu ab alto, igne, quouis modo inflictio vulnere, vel nobiliores solidas corporis partes destruyente, vel nimiam excitante haemorrhagiam. II. ab externa, non quidem violenta, causa, sed vel respirationem supprimente, vel neruos immediate graueriter adficiente; quo aeris defectus, nimia eius compressio, deprauatio denique, pertineat. III. ab assumtis venenis, cito operantibus, vel adhibitis incongruo modo medicamentis actiuioribus; IV. a variis causis internis, vitae subitaneum inferre valentibus finem; quas quidem postremas, hac sua opella Academica commentandas sibi, prae reliquis propterea sumsisse monet, quod priores tres classes ita comparatae sint, ut a corporum, extra nos positorum, dependeat actio, haec vero potissimum a priori determinari non possit, quum ut plurimum fortuito casui debeantur; vixque adeo operae pretium futurum videatur, iisdem explicandis diutius immorari. Quibus itaque dimissis, ad sibi obiectas internas causas enumerandas exponendasque festinat, easdemque denuo in quatuor sequentes classes dispartitur. Primo enim loco adesse posse, docet, praeternaturalem quamdam, in structura partium corporis solidarum, constitutionem, qua fiat, ut repentina mors arcessatur; altero loco vitium quoddam fluidorum; tertio quasdam immateriales causas, ex solo mechani-

simo



imo et materiae actione non explicabiles; quarto denique loco morbum praegressum, ansam celeriori ex hac vita discessui praebere posse ponit. Atque ad has quatuor classes longe facilius omnes reduci posse casus existimat, quam si cum LANCISIO vitium tantum siue solidorum, siue fluidorum, velimus accusare.

§. 6.

Noli vero tecum reputare, non statim ex eo, quod fieri quid posse sumatur, cogi posse, idem vt re vera existat deinceps ac efficiatur. Omnes istas causas internas, a BÜCHNERO aliisque viris, fide omni dignissimis, excitatas, mortes subitas saepe multumque produxisse, per artificiosas cadauerum post fata sectiones, sic omnino confirmatum est, vt, donec sua sensibus habenda fides erit, istius modi accurate obseruata et descripta, pro lubitu in dubitationem adduci haud debeant. Quin potius multo plures earum, ac nouae subinde, deregi quotidie, in artis ac generis humani emolumentum, vtique possent, si ferrum cultrumque anatomicum maxima pars hominum non multo saepe magis post mortem reformidaret, quam ipsam mortem. Quibus sic comparatis fas forsitan esset aequumque, vt principalis intercederet auctoritas, nec vermibus escam concederet prius subitis fatis peremptorum cadauera, ac de causa genuina mortuum adeo tremendarum, et contra naturam accidentium, per dissectionem constiterit.

§. 7.

Sic scilicet ex casibus eius modi funestis, detectisque eorum causis, multiplex vtilitatis fructus, in vniuersam rem publicam, ipsamque artem salutarem, posset redundare. Consolationi procul dubio futurum esset inopina suorum morte perterritis necessariis, nec temporius quidem intellecta causa praeuisum quasi mortis telum a capite suo tam caro potuisse auerri. Quum pro-
spere



sperare ac athleticè valentes, saepe praeter omnem probabilem causam, improviso mortis ictu toties perimantur, leuios etiam vi-
 fos, et sua indole satis perspectos, morbos, difficiles interdum,
 insolitos, subiros ac funestos, habere posse exitus. Tanto au-
 tem minus in causa non cognita temerarium, inhumanum, in-
 sidiosum, praecipitandum esse iudicium, atque insonti, eamque
 facienti, imputandum, si quid, non expectatum, sinisterius acci-
 derit. Quid? quod in nostros viuentium vsus, custodiendam salu-
 tem et securitatem publicam, artemque ipsam prouehendam, con-
 uerti saepe possunt, totiesque conuersa sunt, de quibus iuste metu-
 endis prudenterque cauendis, nemo vniquam forte cogitauerit.

§. 8.

Vt, quam vera ista sint, et omnium cognitione digna, imo
 scitu perquam necessaria, ipse possis iudicare, nonnulla mortium
 subitarum exempla adiungamus, quas detectis deinceps, abdite
 latentibus, causis, ne quidem artis peritissimus ante tribuerit;
 plerisque ad Apoplexias, Catarrhos suffocatiuos, Syncopas car-
 diacas, continuo relatis. Quoties enim, vt hoc primo loco
 vtar, sine praegressione causae cuius violentae, scissa ruptaque
 viscera ac maiora vasa, inuenta sunt? et, quod pronum adeo
 est, sanguis et contenta viscerum copiose effusa? Quot enim ex-
 empla, gulae, ventriculi, pericardii, cordis, lienis, intestinorum,
 cystidis felleae, vreterum, vesicae vrinariae, Aortae, Venae cauae,
 aliorum vasorum sanguiferorum, fissorum, ruptorum, Aneurys-
 matibus, Varicibus, dilatatorum, vlceribus latentibus exesorum,
 Valvularum cordis et arteriarum, oclularum, disturbatarum, in-
 duratarum, ossearum, non prostant? Quoties cerebrum sanguine,
 feroue inundatum, pulmones vomicis maioribus obsessi ac com-
 pressi, ruptae subito vomicae, hinc thoracis cauitates, sanguine,
 pure, aqua, repletae, Hydropes Pericardii, idemque sanguine
 multo grumoso distentum, Abdomen ingenti sanguinis copia in-
 undatum,

❧ ❧ ❧ ❧

9

undatum, vermes viui ac mortui in corde, cerebro, polypi veri membranacei, in iisdem, ac polyposae concretiones, itemque cor ipsum, vasa cerebri; alia maiora, minora, Vena azygos, cer. multo crassoque sanguine turgida ac infarta, cor nimia pinguedine oppressum; vt de innumeris, id genus aliis, nunc non enumerandis, omitamus, tanquam genuinae mortium festinataram causae, non commemorantur?

§. 9.

Quod de morbis plerisque, eorumque paruis saepe initiis, dudum obseruauit conditor Artis, HIPPOCRATES, *) eos *derepente hominibus non accidere, sed paulatim, collecta materia morbifica, se prodere*: hoc de moribus his repentis, earumque causis internis, eodem iure dixeris: tacite illae paulatimque, sine quodam notabili dolore, alioque tristiori effectu, ipsiusque sanitatis offensione ac perturbatione, colliguntur, donec vel leuissima accedente causa externa, in Plethoricis praesertim, et quibus fluxus menstruus, lochialis, haemorrhoidalis, derepente suppressus est, †) motu corporis aut animi paullo incitatore, gaudio, terrore, ira, iustis, sternutatione, risu, cachinno, heluatione, crapula, venereo oestro, saltatione, equitatione, aliaque omni concitatore corporis exercitatione, cum impetu se prodant, varioque modo, aut sanguinis circuitum sufflamment, aut respirationem suppriment, aut liquidi neruei influxum intercipient, sicque, latronum ritu, tanquam ex tenebris et latebris suis erumpant, et vitae filum perumpant. Quemadmodum vero plerique hoc morbo iactantur, vt ab eius modi occultis insidiis tunissimos se reputent, quodque consequitur, non modo nascituros morbos in primis suis initiis non iugulent, sed neglecto potius, quod sibi debent, officio, il-

B

los

*) de *Diaeta*, I. 3. 21. †) vide sis, *ill. TRILLERI*, Collegae con-
iunctissimi, Commentarium de *mensibus per nares infeliciter repressis*;
Opusc. Med. Vol. I. pag. 524.



los adolescere placide sinant, foueant, nutriantque: sic mirari sane non conueniet, si morbi etiam leuiores insolitos saepe for-
tiantur exitus, quodque nec metuimus, nec cauemus, fatum, no-
uum malumque, nos repentine opprimat. Vtinam haec ad tem-
perantiam omnium rerum nobis proficiant! Quumque haec no-
ua nunc nobis et inopinata esse nequeant, totque nobis insidiae
parentur, nos ex sopore nostro tandem excitent, vigilantes nos
et acutos faciant!

§. 10.

Haec equidem pro merito suo pluribus persequi institutum
nostrum nunc non patitur; partem, quod laudari BÜCHNERI
industria hoc argumentum diligenter tractauit; partem, quod
prima Medicinae pars, Diaeretica, omnino nobis praecipit, quo
modo vitam ad rationis normam dirigere, prudentique sex re-
rum, quas non naturales Medicorum consuetudo vocat, vsu sanita-
tem nostram illibaram conseruare, et, quae noxae nobis esse queant,
a nobis arcere, debeamus. In rem potius nostram praesentem
ueniendum nobis, et consiliis nostris, quantum poterimus, excu-
bandum vigilandumque, erit, quo, nisi omnes, principes tamen,
mortium repentinorum manifestas causas, efficaciter metuendas
cauendasque doceamus. Neque enim de vitandis his causis ex-
ternis nostra viuendi disciplina, nisi generatim, praecipit; neque
etiam, iisdem explicandis, vt supra monuimus, diutius immo-
rari, operae se pretium facturum BÜCHNERVS noster existimauit.

§. 11.

In causis his manifestis, quae Auctor noster numeret, supra
iam indicauius. Alium eorum indicem alii, cum b. nostro an-
tecessore, CHRISTI. VATERO,^{s)} exhibent; secundum quos, Ani-
mi pathemata grauiora; terror; gaudium nimium; motus corpo-
ris

§) in Diss. de mort. subitan. non vulg. caus. et remed. Witt. 1723.





ris violentus et insolitus; fulmen; aer nimis densus aut rarefactus; fulgines carbonum; illapsus rerum extranearum in asperam arteriam; Spiritus vini, alique liquores inebriantes, largius hausti; Venena propinata;^{b)} eodem censu habenda sunt. Quibus alia, admodum numerosa, aestuantis nimirum corporis subita refrigeria, potulenta glaciata avidissime hausta, vlcera antiquorum improvidas sanationes, exanthematum, tineae, impetiginis, scabiei, materiae arthriticae, rheumaticae, sudoris, repressiones, aquarum medicarum, thermarum, balneorumque frigidorum, promiscuos usus ac temerarios abusus, commode in societatem adiungere possis. Necessarium prorsus, saltem non inopportunam aut superfluum, iudicamus, his fidem facere luculentis quibusdam exemplis, quae b. HEVCHERVS^{c)} noster, saepius exciatus, hoc est, laudatus, ex probatissimis Auctoribus operose collegit, coniunctoque hoc ordine proposuit: Quis enim, nisi omnis imperitus historiae Medicae, inficias ire velit, maiorem longe a Medicis consignatum esse numerum eorum, qui Syncope, Catarrho suffocante, Apoplexia, Venenis, et similibus, inopinato interierunt, quam talium, quos PLINIUS ab hausto in lacte pilo, WIERVS, COGNATVS, CAMERARIUS a deglutito ovo gallinaceo et perca A. BENEDICTVS a digito, imprudenter in oesophagum compulso, BENIVENIVS et VOLLGNADIUS a pugno, vel Cerui cornu, vehementer abdomini illiso, CARDANVS ab euulsis dentibus, HILDANVS, SEBIZIVS, RAYGERVS ab alapa, M. a GRADIBVS ab inopinatu tubarum increpitu, GVIBERTVS ab appenso contra pestem Arsenici amuleto BORRICHIVS ab applicato carpis in maligna Hydrargyro, ab exhalationibus

B 2

variis,

^{b)} Hoc loco euoluenda ac legenda est, saepe iam laudati TRILLERI nostri exercitatio, de *Planta quadam Venenata, copiis Antonianis olim exitiali*; Opusc. Med. Vol. I. p. 556.

^{c)} in Dissert. *Errores circa causas mortis subitae*, §. 2. Opp. Tom. I. pag. 360. seqq.



variis, vitote conclauium calce recenti in crustatorum, musti et cereuisiae recentis, fumo fornacis, carbonum ignitorum, candelae sebaceae, foetore vetustae chartae commotae, aromatum fragrantia ⁴⁾ fontium et puteorum effluuiis, metallifodinarum plumbi praesertim, venarumque Chalcanti Cyprici vaporibus et halitibus, GALENVS, SOLENANDER, T. A. GÜLDENKLEE, MERCKLINVS, LEDELIVS et SACHSIVS, a leui purgante BECKERVS, a clystere, Iliaco exhibito, CNOEFELIVS, a copioso confectionis Mustardae esu SCHVLZIVS, ab aquae vitae potu in pleuritide FORESTVS, a frigidae potu in ardente feбри et post sudorem ALVSIANVS, a nimia temeti ingurgitatione GED. HARVEVS, ab angina vel morbis acutioribus BRASSAVOLA, TRINCAVELLIVS, HOLLERIVS, FERNELIVS, a Veneris vsu M. DONATVS et HEERIVS, a Pyrophobia SCHENCKIVS, a nimio gaudio BONETVS, ab haemorrhagia vteri post partum I. de MVRALTO, ab haemorrhagiis aliis, vulneribus, animalium moribus, alii, vitam cum morte subito commutasse retulerunt.

§. 12.

Sed vero non minus quilibet, aut peritus artis, aut aequus et non corruptus iudex, inficias non iuerit, quum tanta sit causarum, etiam manifestarum, quae mortes repentinas cieant, multitudo, fieri aut plane non, aut non sine summa difficultate effici, posse, vt omnes aequae a ceruicibus nostris arceantur, vis saltem earum infringatur, et subitae adeo mortes vbique cum effectu caueantur. Multum sane interest, num quis integro adhuc gaudeat corporis sui vsu, an ab internis causis corpus iam satis afflictum debilitatumque sibi contigerit, atque adeo vtriusque generis causarum conspiratione discrimen periculumque augeatur, et quasi inuitetur. Haec scilicet causa sub-

⁴⁾ Conf. Ill. TRILLERI nostri, Diff. de morte subita, ex nimio Violarum odore oborta; Opusc. Medic. Vol. I. p. 237.

est, quare alii acerrimos quosque impetus impune ferant, et, quae nocitura videantur, foriter declinent, alii a leuioris etiam momenti caussis grauiissime laedantur, lethaliterque vulnerentur. Permulti quoque foruitos casus et subita fata felicissime euadunt, quibus — Virtus animusque in pectore praesens est; contra ea autem, qui — Vitae nimium cupidi, mortisque timentes; — qui nullius sunt animi, nullius consilii, hi, viso eminus leuiore quoque discrimine, sese ipsos confestim deserunt, et, tanquam omnia iam conclamata sint, salubria consilia non attendunt, consolantia verba non audiunt, sibi que adeo ipsis exitium suum pariunt ac festinant. Nocentius profecto nihil est, quam — gelidi tela paouris; nihil igitur eius modi pusillis fractisque animis ardentius orandum, quam — Deque meo pavidos excute corde metus.

§. 13

Sed omnes istas caussas manifestas atque occasionales, quibus magna pars mortalium, per incuriam, imprudentiam, temeritatem, ignauiam ac ignorantiam, quotidie sese obicit, quasque igitur, si sapere quidem voluerit, cauere facile ac declinare posset, missas nunc consulo facimus, et ad eiusmodi nos conuertimus commentandas caussas, quas, manifeste licet violentas ac nocituras, vniuersales tamen et ineuitabiles, metuendas igitur, et nullo consilio, nulla praesentis animi magnitudine ac prudentia, satis cauendas, plerique omnes, ab omni hominum memoria, habuerunt, permultique etiam nunc habent; nos autem, quae temporum nostrorum est felicitas, plurimum cauere, et a capitibus nostris auertere, didicimus. Coelestium tela ignium, et insatiabiles aquarum voragines, mihi nunc praesertim obuersari, et animum meum attentum figere, facile intelliget, qui secum reputauerit, aduersus eorum ictus rictusque adhuc nec consilia peti, nec auxilia quaeri, consueuisse.

B 3

§. 14.



Quotus nimirum quisque est, qui tonitrua et fulminum tactus non extimescat? — Vtique fulminibus permixta tonitrua mundum Terrificant; qui, quum ab omni parte coeli fulgura emicant, et — coelum tonat omne fragore; non serio optet et ardentissimis contendat precibus, ut procul sibi a fulmine abesse liceat; ut a caedibus parcat et incendiis? Qui nihilo tamen minus omne conamen, fulminum a se auerendi ictus ac noxas, irritum impiumque, et poena Promethea dignum, facinus, non agnoscat ac pronunciet. Quasi vero coelum tum maxime peccatis nostris iratum sit! Sed longissime a nobis absit, ut tantas animis coelestibus iras tribuamus. Rectius Poeta philosophatus est:

*Si, quoties homines peccant, sua fulmina mittat
Iuppiter, exiguo tempore inermis erit.*

Summum potius et non satis celebrandum diuinum beneficium hoc agnoscimus, quod ex magna Dei fulminantis tonantisque manu accipimus; cuius tot tantaeque in nos utilitates redundant, ut omnes non enumerare, nec animo, possimus, complecti. Quemadmodum vero a pluuio et grandinoso imbri nos tholus et recta nostra recte vindicant, et vmbraulis ardentis soles sum-mouemus, quibus aestate nihil potest esse gratius: ita non minus naturae consentaneum est, ut coelestes illos ignes et beneficos nobis, et maleficos quoque, agnoscamus; vique post nubila Phoebum, sic quoque post Phoebum nubila, pluuios, fulmina et tonitrua, nobis optemus atque expetamus; damna vero vtriusque, quantum per cognitatas naturae vires datum nobis ac licitum est, a nobismet ipsis, et habitationibus nostris, ab agris et hortis, a frugibus et fructibus nostris, auertamus, omniaque tandem, lucem ac tenebras, ignem ac aquam, omnibus modis nostros in usus conuertamus.



§. 15.

De Lauro, nouimus, religiosam populi Romani antiquitatem persuasissimum sibi habuisse, hanc arborem, Apollini sacram ac gratissimam, propterea maxime boni genii plantam laudandam esse et diligentissime colendam, quod manu sata et in domos recepta, fulmine sola non iciatur; vt apud PLINIVM¹⁾ est: Laurus, enim addit, manifesto quidem abdicat ignes crepitu et quadam derefatione, Tiberiumque principem tonante coelo coronari ea solitum ferunt contra fulminum metus. Quam Tiberii consuetudinem SVETONIVS^{m)} commemorat ac confirmat: Circa Deos ac religiones negligentiior, persuasionis plenus, cuncta fato agi: Tonitrua tamen praeter modum expauescebat, et turbatiore coelo numquam non coronam Lauream capite gestauit, quod fulmine adflari negetur id genus frondis. Equidem hanc Lauro virtutem gratis tribui, ipso vsu ac experientia constare, HARDVINVS contendit; licet hodie, detectae fulminum naturae ad modum consentaneum sit, proceras arbores ipso eo, quod fulminibus, tanquam in suos vertices inclinatis, haud raro iciuntur, viciniam suam egregie tutari. Recentissime etiam, meminimus, tentoria sine ferro facta, et linteo incerato triplicato recta, tanquam certa aduersus coeli tonantis iniurias asylo commendari a PONCELETO,ⁿ⁾ id quod eodem modo non omni probabilitate destituerit. Quid prohibere itaque possit, quo minus eius modi tabernacula, proceris arboribus, in curiosius definita distantia, constata; et ab Oriente Sole patentia, fulminibus plurimum oppositum latus petentibus, appropinquante tempestate fulminea, tanquam saluis nostrae praesidia, ingrediamur, nihil video. Tanto minus superstitionis cuius aut temeritatis, aut impietatis plane

¹⁾ *Hist. Nat.* XV. 30.

^{m)} in *Tiberio*, c. 69.

ⁿ⁾ vide sis, *la Nature dans la formation du Tonnerre*, cer. a Paris, 1766.



plane, suspicio aliis moueri poterit, qui alio subinde instrumento apparatusque vtuntur, vt omnem hanc calamitatem, vt hoc miserabile leti genus, a se et ciuibus suis, a nostris habitationibus, ciuitatibus, templis, cet. amoliantur, nimumque eorum metum sic potenter minuant. Nonne enim,

*Cum feriant vnum, non vnum fulmina terrent:
Iunctaque percusso turba pauere solet?*)*

§. 16.

Atque eiusmodi apparatus, vt notissimum, hoc demum seculo nostro, felicissime repertus est, quo, modicis admodum impensis, materiam fulmineam et adducere, et abducere, quo uoluerimus, omnino possumus. Debemus hoc inuentum, hecatombe dignum, singulari illi studio et quasi entusiasmo, quo naturam Electricitatis, communicatis consiliis et innumeris tentaminibus, detegere, et in vsus nostros, physicos, oeconomicos ac Medicos, conuertere, summorum hominum ingenia, successu non satis demirando, certatim contenderunt. Sicut vero FRANKLINO, ²⁾ illi indefesso rerum naturalium scrutatori, ac principi Americae ornamento, nobilissimi huius inuenti gloriam, dubiam reddere nemo vnquam audebit: sic non defuerunt deinceps viri docti bene multi, hoc etiam nomine de publico egregio praeclarissime promeriti, qui hoc nouum inuentum, reperitis experimentis et obseruationibus curiosissimis, confirmare ac illustrare, eiusque vsum tam late patentem impense commendare, et in rem publicam introducere, sustinerent. Ex nostratibus igitur meritiissima hac laude cum primis maectandi sunt, qui hoc inuentum

*) *Ouid. Pont. II. 9.*

2) *des Hr. BENJAMIN FRANKLINS, Esq. Briefe von der Electricitæet. Uebersetzt von WIELKEN. Leipz. 1758. 8.*

rum vernacula nostra plenius exponere, et luculento suo exemplo comprobare ac lausissime propagare studuerunt, I. A. H. REI-MARVS *) et IO. IGNAT. de FELBIGER, *) Viri clarissimi ac summe venerabilis, non tam studiose a nobis dilaudandi, quam diligenter legendi atque imitandi.

§. 17.

In rem nostram satis erit, ex amplissima hac materia haec pauca delibasse, et fundamenti loco praemississe: Materia fulminea atque electrica, quam physicae scholae aetherem olim vocarunt, eadem fere est, et, quantum per observationes et experimenta constat, plurima communia habet; sic, ut vtriusque phaenomena ac effectus sibi deprehendantur simillimi. Vbique haec materia, perque vniuersum, dispersa est, et omnia corpora plus minus replet, adeo, ut tamquam elementum, ad eorum naturam pertinere videatur. Sibi igitur relicta in nullo corpore proprie, nec abundat, nec deficit; turbata autem, siue auctior in aliis, in aliis parcior, reddita, quoddam veluti aequilibrium adfectat, illudque, modo paullatim ac tacite, modo aperte et cum impetu quodam, recuperare satagit. Auctior itaque vis ex corpore, quod dicunt, positivae electricae, quam proximum, minus seu negativae electricum, corpus, petit: tanquam elasticus aer vacuum se spatium; idemque aut facile transit sequiturque, aut

*) Die Ursache des Einschlagens vom Blitze, nebst dessen natürl. Abwendung, etc. Langensaltza 1770.

*) Die Kunst Thürme oder andere Gebaende vor den schaedlichen Wirkungen des Blitzes durch Ableitungen zu bewahren, angebracht an dem Thurm der Saganischen Stifts- und Pfarrkirche von dem Abr dieses Stifts etc. Bresl. 1771. conf. Wittenberg. Wochenblatt, d. A. 1769. S. 265. 272. et d. A. 1772. S. 21. u. 30.



suo in itinere repressa et retenta, vario modo destruit, exurit, displodit, comminuit. Quod itaque palmarium est, et caput causae constituit, per certissima experientia nunc constat: Metalla, Aqua, corpora animata ac vegetabilia, corpora frictione excalescunt, flamma, et, quae in vacuo aereo inest, subtilis materia, tanquam corpora, minus, seu negatiue, electrica, materiam fulmineam, sicut electricam, vehementer appetunt, libenter admittunt, eandemque, tamquam nunc facta positiue electrica, ad alia corpora, negatiue electrica, perducunt; corpora autem reliqua, sicca, frigida, aut temperate calida, Aer siccus, nimum non aestuans, Vitrum frigidum, non perfricatum, Pix, Sulphur, Gummata, Succinum, Cera sigillatoria, fila Serica coerulea, Pili, Pennae ac Plumulae, Olea, Lapides, ligna, alia, tanquam positiue electrica, et sua naturali electricitate contenta, materiam electricam, sibi adductam, vehementerque irruentem, aegre admittunt, ac transmittunt, sed repellunt potius, et tam valide eidem resistunt, ut ex hoc conflictu pugna atrox, cum horum destructione ac disiectione, oriatur. Summa eorum, quae consequuntur, haec est: *) Facillimum electrico igni per Metalla, per Aquas, iter est; difficilium per lapidum, laterumque, strata; per siccam lignorum palearumque struem, difficillimum. Facillimum autem iter electricus ignis semper sequitur. Metalla igitur et Aquas fulmen petit, praeteriens lignorum contignationes et straminum globos. Hinc et per domorum tecta, pluuiis madida, delabitur innoxium fulmen, aut ingressum in interiora, ferramentis, quibus vel tectorum tigni vel murorum parietes compaginantur, inhaeret; aut per focorum verticales fistulas illapsum in ignis flammam exploditur, illaesis, (sed non semper) qui focum tractant; aut turrium summa petens, per fila ferrea, qui-

*) Vide *PVLGENTIVM BAVERVVM* in *Diff. Experimentalis de Electricitatis theoria et usu*. Vienn. 1767.

quibus malleus horologio iungitur, decurrens, non atterit tantillum remotos, accendit autem, excandefacit, fundit, comburitur, quae peruaserit: Quodsi itaque per experimenta, accuratissime sumta, indubium nunc et inuictum est: I. Nubes, turbatiore coelo, positivae, plurimum negativae, electricas esse; II. Fulmina gigni, corpore aut nube negativae electricae ad positivae electricam appropinquante; III. Fulmineam materiam sine qua laesione damnoque, per Metalla, fluminis sui ignei capacia, delabi; nec nisi resistentia sibi corpora dissiicere; IV. Materiem illam electricam seu fulmineam, acumina vectium, seu contorum, ferreorum, ex longa etiam distantia, facilius longe ac sine strepitu validaque explosione, petere, quam latiore eorum macronem ac obrustorem superficiem; et V. corpus mobile seu nubem, negativae electricae, a corpore positivae electrico, non mobili, repelli: pronum apertumque omnino ex ipsa fulminum natura est, tela illorum ictusque, via, ab ipsa natura nobis demonstrata, primario per Metalla, per contos illos ferreos, tectis ac turribus impositos, in cuspidem acutam exeuntes, et per continua fila metallica crassiora, aut laminas et catenas ferreas, libere per aerem ad aedium fundamenta in cryptas subterraneas, aut aquas pereuntes, deductos, averti a nobis, abduci ac declinari, cum certa securitate, posse.

§. 18.

FRANCKLINI popularibus merito laudi ducitur, quod hoc tam salubre consilium promi gratique exceperint; nec vero, sine optimo successu, idem persequuti sunt, nullis eorum aedificiis, quibus tutelares istos adductores et abductores impo-
suerunt, post illa tempora fulminum ictibus percussis. Optandum sane est, ut exemplum, quod primus in Germaniam nostram Antistes ille Saganus, non minus pius ac religiosus, quam prudens ac generosus, introduxit, omnes ii, quibus patriae



triae caritas in superficie tignisque non pender, diligenter imitentur, ac procurent, vt aedificiis, maxime publicis, et in alium sublati, Templis, Turribus, Principum palatiis, Curiis, Tabulariis publicis, Armorum officinis et pulueris pygrii conditoriis, Bibliothecis, Apothecis medicamentariis, aliisque Porticibus et sanctioribus rerum pretiosarum ac rariorum repositoriis, Theatris denique, eiusmodi metallici abductores, ex methodo FRANCKLINANA imponantur. Quorum quidem tanto maior cernitur esse necessitas, quo damnosior illa luxuries inualefcit, aedificiorum contignationes, murosque et laquearia, ferreis clauis, trabibus, ansis atque ancoris, committendi ac suspendendi. Saltem, vt omnia, ex metallis conflata, ornamenta, ventorumque malefidi indices, cum globulis suis, carpifculisque et vestituris, inauratis, abductoribus nimirum destituta, summueantur, contra vero pluuiiales aquae, stillicidiorum loco, per canales aeneos ligneosue, collectae deducantur, publica efficiendum auctoritate, recte putari possent.

§. 19.

Neque vero his minora sunt beneficia, quibus nosmet ipsos, aduersus fulminum ictus, probabiliter tutari, docet consuetitque, detecta vis electrica. Exempli loco potiora tantum tangemus capita et cautiones, quas susque deque habere, aut superciliose contemnere, aut molliter ridere, religioni ducendum arbitramur. Vt in vniuersum, sic in re seria, et vitam salutemque hominum tam prope attinente, inepto risu res nulla potest esse, CICERONE iudice, ineptior. Sed vero idem ille in commentariis augurum scriptum haberi testatur, Ioue tonante ac fulgurante, comitia populi habere nefas; imo, si inter ipsa comitia tale quidpiam superueniret, vitium dicebatur, quod comitia turbabat; vnde indicta etiam, ob tempestatem, saepe dis-

solu-

soluta. Factum hoc tum maxime ea ex causa videri potest, quod Comitia multis annis recto caruerint; quare etiam porticus Deorum templis additas fuisse VITRUVIUS docet, easque magnas ciuitatibus praestare vtilitates, ait, quo scilicet populo aduersus tempestates obruentes essent receptacula.¹⁾ Magis tamen idonea causa, nostra aetate, potest allegari, quam ob rem, publicas populi conciones et congregationes habere, easdemque indictas non prorogare, atque adeo, ob tempestatem grauiorem fulmineam, non dissoluere, nefas posset videri. Vt hoc enim praeteream, quod pleraque Tempia nostra, et ipsa circumeuntes areae, damnosa prorsus consuetudine, mortuorum quoque permittantur esse conditoria, putridis igitur sulphureisque exhalationibus, fulmina trahentibus, plus satis iam abundant; vnum hoc nunc addendum ducō, populi multitudinem congregari, endemias istas exhalationes, densissimis suis aquosis sulphureisque effluuiis ac sudoribus, aestate cum primis, et imminentibus tempestatibus, sic augere et multiplicare, vt nubes eorum altius latae moleste satis sentiantur, consipataeque, et finitis quoque sacris inclusae, tanquam perniciosissimi adductores, in templa turreaque coniunctas, fulminum iactus inclinare posse facile concipiantur. Frequentes admodum Templorum, coelestibus ignibus incensorum, calamitates ac ruinae, sumtae huius causae probabilitatem sic pro dolor! augent ac confirmant, vt res ista, assidua nostra meditatione ac commentatione, dignissima habenda sit. De tumultuaria populi dissipatione ac effusione, fores exitusque tum perniciosissime occupante ac obturante, damnisque eius et cladibus, per saepe horrendissimis ac funestissimis, *Omnipotens*

— — — vt nubibus aera caecis
Oculuit, tonitruque et fulgure terruit urbem,

C 3

scili-

¹⁾ Conf. STRUVII *Antiqq. Rom.* p. 269. et 518.



scilicet,

ut noua, si possint, sedare incendia tentent,

plura addere nunc non vacat, maxime, quum casuum eius modi recentissimorum memoriam, et obductas cicatrices, refricare, nihil opus sit, et verba dolori rediuuio cedere omnino debeant.

§. 20.

Sed, relicta multitudine, domi quoque non pauca procuranda sunt, quibus, imminenti- bus tempestatibus, mature obuiemus, et fulmineos iactus a nobis et relictis nostris, abductoribus carentes, arceamus. Ante omnia igitur alia, omnis generis metalla, et, quae ex illis fabrefacta sunt, utensilia, ex tactu aeris externi et nos ambientis, ex conspectu, et quantum fieri potest, ex vicinia nostra, remouenda sunt; in quibus, praeter ea, quae ad vestitum et mundum nostrum pertinere putantur; pecunia *) cum primis, habenda est. Caminus praesertim luculentus, et vitius in foco ignis, extinguendus est, quum flamma tanto facilius in vacuo fumariorum fulmen trahat; quare ab eo utensilia metallica, lignaque nimis arida remouenda sunt, praestaretque omnino, si culinae nostrae, non stanneis cupreis- que vasis, sed argillaceis potius murrhinisque resplenderent. Tumvero siue fenestrae versus plagam, tempestati imminenti oppositam, maxime versus septentrionem et solem orientem, propter arctissimum electricae materiae cum magnetica, consensum ac connubium, *) patefaciendae, vel fores saltem, aperiendae, sunt.

*) vide sis, casum prorsus singularem in dem *Wittenb. Wochenblatte*, No. 33. a. c.

*) Conf. AEPINI, V. Cl. Diatribae de hoc argumento, Petrop. 1758 et 1759.

vt aet continuo, sine perflatu, renouari, tantoque certius suffocacionis periculum auerti possit, qua plurimi sine contactu fulminis irruentis laedentisque, sed aera dissipantis et respiracioni inidoneum reddentis, pereunt; quare conclauia spatiosa, vaporibus vacua, nec omni timidorum turbae patentia, expetenda sunt. De nocte etiam lectus tempestiue relinquendus est, tum propter pennas plumulasque, fulmineam materiem facile admittentes, tum vero maxime, ne nosmet ipsi nimium incallescamus, et auctiore perspiratione humidum fiamus, et sudoribus disfluamus; quo fulmina irruentia in nosmet ipsos inclinamus et adducimus. Tabaci etiam fumus eo tempore non hauriendus, neque eiusmodi operae, tractandae sunt, quae atmosphaeram aqueis, sulphureisque vaporibus repleant. Quin electrica etiam experimenta cautissime tum instituenda. Qui contra sub dio versantur, placide sua testa repetant, nec cursu equorum concitatore tempestati se subducere contendant, propter varias concurrentes causas, quae vnitis quasi viribus fulminum tela tum in nos conuertere possunt, saepeque solent. Idem vero periculum sibi, pluuia aqua madefactis, imminere tum magnopere non metuant. Vtique materia electrica, post metallam, aquam lubentissime sequitur; constat tamen a priori et ipso vsu, fulgur tum vestem quidem, pluuia madefactam, non ipsum autem corpus, ingredi, hac vero sicca in corpus penetrare. Sane glis, aqua perflatus, etiam Leydeni illo percussu, enecari non potuit²⁾. Tanto studiosius procerae arbores fugiendae, nec sub iis contra pluuios imbres asylum quaerendum est. Altiora enim, et sibi resistentia in libero aere loca et corpora, fulmina cum primis

appe-

²⁾ Conf. 10. FR. HARTMANNI *Abhandlung von der Verwandtschaft und Aehnlichkeit der electrischen Kraft mit den erschrecklichen Lufstseimungen.* Hanov. 1759.



appetunt; vt vectium ferreorum acuminatorum phaenomena testantur. Interea tamen animaduersionem paullo subtiliorem meretur illa, quam me legisse memini, obseruatio, quod locus sub dio tutior nullus sit, quam in vicinia procerioris arboris, in distantia tamen ab eius caudice, quae arboris altitudini aequa sit. Sed de hoc argumento, sicut etiam de Moribus subitaneis, a submersione in aquis et suffocationibus aliis, cauendis, alia propediem occasione Academica, quae intacta nunc relinquere cogimur, addere his licebit.

Tu, vero, omnipotens ac miuissime Deus, cui soli in tua tela est arbitrium,

Parce, precor, fulmenque tuum, fera tela, reconde!

T A N T V M



ULB Halle

3


004 057 996




v298

56







B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

928 K 944

5,10

INAUGVRALIS MEDICA

DE

MANIFESTIS

REPENTINARVM

S CAVENDIS

Q V A M

SI MEDICORVM ORDINIS

AESIDE

D AVGVSTO

GVTH D

PROF. PVBL. ORDINAR. ET FAC

C. SENIORE

ICENTIA

EDICINA HONORES

SSENDI

EMBR. CIOIOCLXXII

L. Q. C

DEFENDET

OTTHELF MOEBIVS

NIGA - MISA

E CANDIDATVS

ENBERGAE

STIANI DÜRRRII ACAD. A TYPIS

1772

Handwritten signature: T. Acto: ...